

- 1 Baumgarten s. Sigm. Jac. s. meditatio-  
nes quardam de Genuina et Spuria  
edificatione spirituali Mediorum illius  
legitimis et illegitimis, Halle, 1747.
- 2 Brunings s. Christ. s. diff. de Christo  
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Cloßen s. dieu. Sigm. s. diff. de Opere  
dei miraculoso, Gratioso et Glorioso  
in sanctis rediivis demonstrato,  
Francof. 1726.
- 4 Clauswitz s. Bened. Gottl. s. diff. de  
Spiritu Sancto Annabone, Halle, 1747.

26 26  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
QVA DISQVIRITVR,  
NUM  
EX VERBIS PAULINIS  
QUIS TE DISCERNIT?  
PRÆDESTINATIO ABSOLUTA  
EXSCULPI POSSIT?

ET QUAM  
PRÆSIDE  
CHRISTOPH. MATTHÆO  
PFAFFIO,

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIO,  
UNIVERSITATIS CANCELLARIO,  
ABBATE LAUREACENSI

AD DIEM XXVIII. JUNII

IN AULA THEOLOGORUM NOVA

DEFENDET

JOH. PHILIPPUS PICHLER, Eslingensis,  
Stipendii Glockiani Alumnus.

---

TUBINGÆ  
EXCUDEBAT JOH. PHILIPPUS ERHARDUS  
A. MDCCXLVI.





I. Cor. IV. 7.

Τίς γάρ σε διακρίνει;

*Quis enim te discernit?*



erba Paulina, quæ explicatum imus, varios induere sensus possunt. Ut enim taceamus, διακρίνειν significare *dijudicare, judicare*, uti Rom. XIV. 1. 1. Cor. VI. 5. XI. 31. XIV. 29. & *discernere*, uti Matth. XVI. 3. Act. XV. 9. I. Cor. XI. 29. quæritur; quid ad quæstionem, quam format Paulus, respondendum sit, vel quænam potius responsio ab Apostolo supponatur, cum nec ipse nec alius expresse respondeat, vel quis sit ille, qui iudicet vel discernat, num DEUS, vel Apostoli, qui Corinthiorum Doctores erant, vel horum quisque, aut ipse ille, qui suâ inflatus opinione tanta de se præsumeret, & alteri se præferret, vel nemo prorsus? Quæ ipsa quæstio decidi nequit, nisi & de subiecto discernendo, quod vel esse possunt ipsi Corinthiorum Doctores, vel Corinthii inflati, nisi & de causa discretionis, quæ vel esse possunt status naturalis, vel status gratiæ Corinthiorum,

) 2

thiorum, vel horum profectus tùm in teoriâ, tùm in praxi, vel eorum, aut Doctorum Evangelii, quos venerabantur, charismata hæc vel illa, ordinaria vel extraordinaria, majora vel minora, nisi denique & de ratione & modo discretionis, quæ vel prava esse & ex φιλαυσίᾳ, aut aliis affectibus pravis fluere, vel bona esse & ab illuminato & extra partium studia posito intellectu proficisci poterat, disquisiveris. Forsan, qui cursor hæc verba legerit, tàm præcisè hæc non observârit singula. Ast, qui curatius textum evisceraverit, & ad singulas voculas attentionem densaverit, qui & tùm veterum, tùm recentiorum interpretamenta hic contulerit, facile capiet, vera esse, quæ in primis, quas duxi, lineis dixi. Nimum foret, inutile foret, hanc in prolixitatem exspatiari nunc, & allegare auctores, citare interpretes, sive vetustiores, sive recentiores, qui in diversas hinc vias abeunt. Suffecerit dixisse, quæ nostra hinc mens sit, quæ sedeat nobis sententia. Juvabit nos contextus, optimus interpretandi magister. Monuerat in commate antecedente Paulus Corinthios, modestè ut unusquisque sentiret de se, nec unus propter alterum contra tertium se inflaret, & majora de se præsumeret, quam deceret. Hanc inflationem, hanc superbiam reprehendit & infra comm. 18. 19. V. 2. Allegat & C. VIII. 1. causam hujus inflationis, nempe γνῶσιν, scientiæ magnæ vel majoris præsumtionem nimiam. Et verum quidem hoc erat, Corinthios omni scientiâ fuisse ditatos, nec ullo facilè caruisse charismate, quod fideles ornat 1. Cor. I. 5. 7. 2. Cor. VIII. 7. Sed hic erat ipsorum error, hæc hallucinatio, quod unus contra alterum inflabatur, & majorem se præ altero scientiam & charismata possidere gloriabatur, ὡς ἐγὼ τοῦ ἰσθός, quod

quod præstantiorem sibi elegisset Doctorem, cui adhæreret, & ex cujus prædicatione plus profecisset, quam alter. Hinc schismata illa, quæ tanto reprehendit opere Paulus 1. Cor. I. 10. seqq. Qui se adversus alterum inflat, *judicat* se altero præstantiorem, *discernit* se ab altero, tanquam minore. Ut inflationem, ut superbiam hanc Corinthiorum inflatorum retunderet Apostolus, duplici utitur medio, quem vocant, termino. Unus comprehenditur verbis nostris: *quis te discernit?* alter sequentibus: *quid habes, quod non accepisti? Si verò accepisti, quid gloriaris, ac si non accepisses?* Sensus est: Cavete vobis, qui tam superba de vobis judicia fertis ipsi, & vos ab aliis tanquam præstantiores & majores discernitis, à tam pravâ philavtiâ & affectu pravo, Christianæ, quæ vos decebat, humilitati plane contrario? *Quis est, qui vos discernit?* Si vestri Doctores, si alii, qui spiritus discernere valent, vos discernent, esset hoc utique veritatis testimonium, quo tamen & ipso nec deceret vos inflari. Sed vosmetipsi vos discernitis, & unus alteri vos præfertis, ex affectu pravo, ex philavtiâ, quæ à fidelibus abesse debet. Relinquitè Doctores vestris, relinquitè DEO judicium 1. Cor. IV. 4. 5. Et quid propter charismata, queis beatos vos esse creditis, vos effertis? DEO gloriam date, à quo accepistis ista. Ne quæso, his inflemini! Putatis, vos jam esse saturatos, ditatos satis, nihil vobis deesse Matth. XIX. 20. 1. Cor. IV. 8. Ap. III. 17. Quasi vero proficere vobis haud liceret, nec proficiendum quoque esset. Credimus, calamo hoc nos prorsus tetigisse mentem Apostoli. Patet verò ex his I. perinde nobis esse, sive quis verbum διακρίνω vertat *judicare*, aut *dijudicare*, aut *discernere*. In versione hâc simus faciles, modò in re

conveniamus. II. per *α* non intelligi, nisi illos Corinthios, quos inflationis & superbiæ & in antecedentibus & consequentibus arguit Paulus. Miror, tot esse, qui putent, de Doctoribus Corinthiorum hîc esse sermonem, quos sane hîc non alloquitur Paulus. Faciliùs fluxerit interpretatio, si existimes, eos per *α* *η* innui. Sed illi quidem non dijudicârunt, non discreverant sic auditores suos alteros ab alteris, qui soli erant autores schismatis & rixæ in primo capite damnatæ. Corinthiî ergo III. erant ipsi, qui se discernebant à se invicem, discretionem schismaticâ, DEUS vero erat, cui hæc discretio, hoc judicium diacriticum & discretivum competeat, ut summo judici, Apostoli, Doctores, Ecclesia, fideles extra partium studium positi, ut dijudicatores & discretiores subalterni, quorum commune hoc officium est, *discernere spiritus* I. Ioh. IV. 1. Unde IV. de iudicio, de discretionem pravâ hîc sermo est; ex philantiâ oriunda hominum, superbiâ inflatorum, non DEL. Et V. de ejusmodi dijudicatione & discretionem hîc agitur, quæ fiebat in ordine ad majores Corinthiorum vel minores in scientiâ religionis profectus, majora vel minora hujus vel illius charismata, non in ordine ad statum eorum naturalem, vel & ad statum gratiæ & conversionis ut sic. Diximus in explicatione, quam dedimus, verborum Paulinorum nostra ad quæstionem: *quis te discernit?* discernentes esse Corinthios ipsos tanta præsumptione de suis prærogativis inflatos, adeoque responsonem dedimus ad quæstionem, quam vero ad hanc dant ita BALDUINUS in h. l. itemque HÜLSEMANNUS in vindiciis Scr. S. p. 33. ut ajant, hoc sibi velle illam, *neminem* discernere vel discernere posse Corinthios, qui hîc considerentur juxta statum naturalem suum,



suum, juxta quem nullum sit inter homines discrimen, id quod ajat alibi Paulus: ἡ γὰρ ἐστὶ διαστολή non est discrimen. *Omnes enim sunt peccatores, omnes destituntur gloria DEI*, divinâ illâ imagine primo hominî concreatâ Rom. III. 22. 23. Non existimem, hunc sensum congruere nostro contextui. Multò verò minus congruit AUGUSTINI, acutissimi illius & ingeniosissimi Hipponensium Præsulis Africani, explicatio, quâ ex h. l. absolutum prædestinationis decretum exculpit, juxta quod *DEUS* hic dicatur *solus homines discernere de massa perditionis, quæ facta sit ex Adam, ut eos faciat vasa in honorem, non in contumeliam, & donare gratiam huic, quam non donet illi*. Vide ep. 46. ad Valentinum & in libro de correptione & gratia ad eundem C. 4. & 7. itemque contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium L. II. C. 7. & de prædestinatione sanctorum L. I. C. 4. aliaque Augustini loca, quæ cumulat Ravanellus in Bibl. sacrâ, voce *discernere*. Ita & autor incertus, quem vel Ambrosium, vel Prosperum, vel Hilarium, vel Leonem M. sunt, qui con-jiciant, de vocat. omnium gent. L. I. C. 25. adversus Pelagianos scribit, *contra omnem elationem de libero arbitrio gloriantem illam invictissimam reniti sententiam dicentis Apostoli: quis enim te discernit?*, Res mira, quâ contigerit, ut Augustinum ita argumentantem, & contra omnem contextum ita arguentem secuti fuerint, quicumque illius de prædestinatione absolutâ & gratiâ irresistibili sententiam secuti fuere ex antiquioribus & recentioribus, Thomistis, Augustinianis, strictè sic dictis, qui gratiam per se efficacem statuunt, Jansenistis, Reformatis denique. Nervus argumenti ex textu nostro depromti hic est. Si ex absoluto decreto gra-  
tia

tia non daretur illi, denegaretur huic, si gratiæ resistere posset homo, secuturum inde, hominem se ipsum discernere, quod neget textus noster, qui ajat, solum DEUM esse, qui homines discernat, & juxta hanc discretionem salvet hos, illos reprobet. Nihil horum prorsus in textu nostro ne per longam quidem consequentiam latitat, vel erui ex illo potest. Nec dici quoque potest, homines, qui gratiæ obsequuntur, ab iis, qui non obsequuntur, se haud discernere, licet viribus ex gratia concessis id faciant, DEUSQUE deinceps eos, hunc damnando, illum salvando, à se invicem *judicialiter* discernat, ovesque ab hœdis separet. Fingunt Viri errores, ubi non sunt, & non vident, ubi sunt. Errat, qui, quæ heic diximus, negat, hoc est, qui gratiam resistibilem negat. Nec sequitur: si, qui præ altero peculiaribus charismatis a DEO instructus est, ab altero se non distinguit ipse, sed distinguitur à solo DEO, qui charismata contulit, & ille, qui gratiæ obsequitur, se non distinguit ab illo, qui non obsequitur, sed DEUS solus illum distinguit, qui gratiam dedit & vires illi obsequendi. Ita ferè TURRETTINUS in institut. Theol. elenct. P. 2. p. 604. Non enim licet saltum facere à gratiâ extraordinariâ, charismata quæ confert, & gratiâ *gratis datâ*, ad gratiam conversionis, *gratum facientem*, uti distinguunt aliâs, licet incongruè, cum utraque gratia sit gratuita. Charismata enim resistantiæ objectum non sunt, sed saltem boni & mali usus & propter hunc amissionis, ita ut, qui charismatis benè utitur, & ab eo se distinguat, qui malè. At vero gratia ordinaria immediatum & non resistantiæ & resistantiæ objectum est. Verum est, DEUM, cujus gratia objectiva æqualis est, meritum enim Christi in solidum pertinet & æquè ad omnes,

omnes, nec magis redemptus est a Christo Petrus, quam Paulus aut Joannes, cum lytrum datum sit sub folle pro omnibus, pro toto mundo, inæqualiter vocare homines, & gratiâ suâ tangere, adeoque modum dispensationis inæqualem esse, & sic quoque DEum homines distinguere solum. Sed hoc non facit, ut nec homines à se invicem se distinguant ipsi per bonum vel malum gratiæ usum, hoc non facit, ut nec homines se faciant *vasa utilia & accepta Domino*, vel *vasa iræ*, quod utrumque affirmat Paulus Rom. IX. 22. 2. Tim. II. 21. licet prius fiat viribus gratiæ, cui resistere poterant viribus naturæ, sed non resistere ex potentiâ non resistendi per gratiam prævenientem irresistibiliter collatâ. Nullum virus Pelagianum vel semipelagianum latet hîc. Si cum Augustino de spir. & lit. C. 34. at verò alibi is & aliter, diceremus, *consentire vocationi divinæ vel dissentire propriæ voluntatis esse*, diceremus aliquid, quod Pelagianismum vel semipelagianismum oleret. *Posse enim consentire & actu consentire* utrumque ex gratiâ est. Nihil profectò sic viribus naturalibus tribuimus, nisi *potentiam resistendi*, quâ gratiæ ad conversionem sufficientis effectum sufflaminat voluntas corrupta, quum concupiscentiæ pravæ prævalentiam ad se inclinandam infundit. Hoc quippe nî dixeris, causâ peccati non fuerit homo, quod nefas est cogitare. Quicquid autem hujus sit, ex contextu nostro ad oculum patet, oraculum nostrum de discretionem divinâ ad salutem vel perditionem planè non agere. Augustino in interpretandâ maximè scripturâ sacrâ acumen logicum non fuit, sed saltem rhetoricum. Nec, qui vocantur, Patres felices admodum existere literarum sacrarum interpretes. Ars interpretandi sacras

) (

litteras

litteras debetur novioribus seculis. Non licet textum ex contextu rapere, & litteram solam respicere sine illius ad antecedentia vel consequentia habitu. Hinc & Molinistæ hîc peccant & Congruistæ, qui ex oraculo nostro itidem decretum prædestinationis absolutum arguunt, quia DEUS, qui præviderit, quibusnam gratiæ auxiliis & congruitatibus homines in tempore cooperaturi & convertendi essent, hæc & has his largiri decreverit, illis secus, ex mero beneplacito, electos à reprobis, sine antecedente ratione, notâ saltem, *discernente*. Falsa quippe est thesis Card. ALBANI, quam pro consequendo Doctoratu Theologico Romæ olim defendit: *Obtinent igitur auxilia gratiæ salutarem effectum in ordine, ad quem DEUS misericorditer illa largitur, quatenus ex infinitis vocationibus, quas DEUS præcognoscit possibiles, extrahit illam vel illas, quibus prævidet nostrum liberum arbitrium non quidem sibi soli relictum, sed motum & excitatum illis vocationibus bene usurum, omittens illam vel illas, quibus prævidet abusurum. In hoc sensu cuius vult, miseretur. E converso, propter rationes, quas ipse scit, ex eodem cumulo extrahit vocationes, quibus prævidet hominem abusurum, omittens illam vel illas, quibus prævidet bene usurum. Et in hoc sensu quem vult, indurat. Cumque totum hoc negotium vocandi homines unis vel alteris vocationibus unice pendeat à DEO, idcirco solus DEUS est, qui prædestinatos discernit ab infelici reproborum massa, & rursus, cum tam una, quam altera vocationes sint per se indifferentes ad utrumvis, subsistit in homine plena libertas indifferentiæ. Vide primitias nostras Tubing. P. I. p. 123. Denique nolim & ex textu nostro probare, cooperationem virium voluntatis naturalium cum*

cum gratia ad conversionem esse nullam, quia sic homo contra oraculum nostrum *se ipsum discreturus* esset *positive*, cum *negative* saltem *se discernere* possit, non resistendo internè. Ita post BELLARMINUM de libero arbitrio L. I. C. 12. ex nostris OSIANDER in prælect. acad. ad loca N. T. p. 135. sqq. & in Collegio system. P. VI. p. 134. itemque SCHERZERUS in breviario theol. HULSEMANNIANO enucl. & aucto p. 1049. Ut enim taceamus, *non resistentiam* etiam à gratia proficisci, textus noster non de discretione hominum ad salutem vel perditionem divina, sed de discretione eorum propria ex superbia & inflatione oriunda agit, ut diximus. Jam facile fuerit, ex textu & explicato & vindicato porismata extrahere. Primum hoc esto. Cave tibi à pravo, quod de te & aliis ex philantia vel pravo affectu fers, iudicio. Ne quæso de te præsume plus, quam decet, contra id, quod scriptum est Ps. CXXXI. 1. Prov. III. 7. Eccl. VII. 17. Jes. V. 21. Jer. IX. 23. Rom. XII. 3. 16. 2. Cor. X. 12. sqq. Jac. I. 9. IV. 16. Damnat hinc scriptura sacra superbos, & qui scientia sua vel charismatis vel quibuscunque aliis qualitatibus & virtutibus instantur. Ast nec de aliis ex affectu pravo judica, sed juxta veritatem. Imò cave tibi, ne temere, ne inconsultus judices. Cohibe cogitata, linguam. Secundum. Cave tibi quàm maxime à discretione ista prava, qua in spiritualibus te alteri præfers ex genio hypocritico & superbium separatissimum olente & pariente, qualis depingitur Jes. LXV. 5. Luc. XVIII. 11. Tertium. Te ante omnes alios judica, & esto severus in hoc tuo iudicio. 1. Cor. XI. 31. Quartum. Acue iudicium, intende & densa attentionem, ut discernere discas & tuum & aliorum spiritus & doctrinas. 1. Joh. IV. 1. Magnum charisma est *διάνοις πνευ-*  
*μάτων,*

<sup>μάλιν</sup>, sed & necessarium. 1. Cor. XII. 10. Hebr. V. 14.  
 Quintum. Non saltem hi vel illi, sed & toti coetus,  
 totæ ecclesiæ peccant, si se ab aliis inconsultè, superbè  
 & temerè discernant, anathemata in illas vibrando, &  
 sibi magna imaginando, quæ nulla sunt. Sextum. Per-  
 tinet & hùc hæretificium inconsultum. Quis te discer-  
 nit tanquàm orthodoxum ab altero, tanquàm hæretico?  
 Tunc, qui in propria causâ iudex es, audes hoc facere?  
 Nonne consultior fuerit modestia, prudentior modera-  
 tio, Theologo sane dignissima? Paulus nemini dixit ana-  
 thema, nisi qui aliud prædicârit à suo Evangelium, &  
 Jesum Christum non amet. Sed recentiorum, qui tam-  
 en & cum Paulo <sup>θεοπρόβουλον</sup> in hoc tertio conferri nesciunt,  
 in hæreticis condendis mira est liberalitas, pruritus  
 mirus. Valeat & hîc illud Joh. VII. 24. Plura  
 porismata non addimus.



ad 14.

01 A 6501

ULB Halle  
002 927 330


3



sh

12









26 26

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
QVA DISQVIRITVR,  
NUM  
EX VERBIS PAULINIS  
QUIS TE DISCERNIT?  
PRÆDESTINATIO ABSOLUTA  
EXSCULPI POSSIT?

ET QUAM  
*PRÆSIDE*  
CHRISTOPH. MATTHÆO  
PFAFFIO,

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIO,  
UNIVERSITATIS CANCELLARIO,  
ABBATE LAUREACENSI

*AD DIEM XXVIII. JUNII*  
IN AULA THEOLOGORUM NOVA

DEFENDET  
JOH. PHILIPPUS PICHLER, Eßlingensis,  
Stipendii Glockiani Alumnus.

---

TUBINGÆ  
EXCUDEBAT JOH. PHILIPPUS ERHARDUS  
A. MDCCXLVI.

